

unum atque eundem duabus linguis tam scite, tamque ornate copioseque uti posse; quodque pauci uno in sermone umquam praestiterunt, ut praeclare scriberent, id ab adolescente Bembo & in Latina & in Italica oratione effici, omnibus, qui de iis studiis aliquid judicare possent, permirum videri necesse erat: praesertim id ipsum in utraque lingua & prosa oratione & versibus, id quod Ciceronem ipsum expertum, sunt, qui negent asse qui potuisse. Ac miramur profecto interdum, quid causae sit, cur, cum oratori poeta maxime finitimus sit, negent fieri posse, ut idem orator bonus, idem egregius poeta evadat; idque non hominum modo existimatio ne, sed etiam re ipsa comprobatum esse: nullos enim, aut certe perpaucos utramque facultatem adeptos videmus: sed cum diurno studio, magnisque lucubrationibus utraque ars egeat, non suppetit ad utramque tempus, atque otium: & quoniam longa exercitatione, assiduoque usu consuescimus aut oratorie dicere, quod vitio maxime datur versus scribentibus; vel poetice, quod contra in prosae orationis scriptoribus vitiosum in primis habendum est: si quis utrumque studium copularit atque coniuxerit, magnae cujusdam intelligentiae, acrisque judicii est, praestare alterum genus, ne incurrat in alterum. Praeterea oratorum, poetarumque ingenia atque naturae contrariae propemodum inter se sint, oportet: hi enim ratione atque humanitate reguntur; illos, furoris afflatus ac divinitas quaedam, impellit: atque omnino proximis, conjunctisque in rebus facilior a recto declinatio, ac lapsus est, reprehensio vero vel insignior: creat enim errorem similitudo: & cum varia tum est, celeriter, propter rei similis comparationem ac propinquitatem, inversio animadversa internoscitur ac reprehenditur. Neque ii tamen nos sumus, qui aut Ciceronis versus valde improbandos existimemus, aut Platonem atque Aeschinem (utrumque enim versus in adolescentia scriptitasse memoriae proditum est) malos, contemptosque fuisse poetas credamus. (a) Post Siciliensem illam peregrinationem, (b) perpaucis interiectis annis, Ferrariam Bembus pa-

b z ter

---

Hungariae, Venetiis, per Bernardinum Venetum de Vitalibus, M. D. II. in 4. Huic Aldus graecani Lascaris grammaticam nuncupavit. Plura in epistolis & latinis & italicis dat eidem Bembus benevolentiae suae honestissima testimonia. Ejusdem etiam cum laude meminit Marinus Bechemus, Scodrensis, praelectione in Plinium, aliique non pauci.

(a) Post Siciliensem illam peregrinationem) Priusquam Ferrariam Bembus euntem patrem prosequeretur, per quatuor ab ejus e Sicilia redditu interiectos annos, aliquando Venetiis substituit, aliquando Patavium se ad philosophiae studia recepit. Certum sibi esse Patavium, ad operam philosophiae dandam, concedere, Stato significat ea, quam supra laudavimus, data epistola. Ceterum ne quid desideres de ratione studiorum nostrorum, statuimus uterque (& Gabrielium indicat) Patavium secedere, & philosophiae nos tradere, sic tamen, ut ne omnino poeticae nuncium remittamus, quae me quidem mirabiliter delecat. Interea in comparanda graecorum librorum bibliotheca detinemur. Quae omnia se ex animi sententia executum, eidem Stato narrat, missa ad eum eodem anno kal. octobr. altera epistola (Ibid. ep. X.) Nos Patavium secessimus, quod tibi antea scripperam facturos esse nos, ad otia literarum, praesertimque philosophiae. Ducem sibi ac doctorem ad eam comparandam adhibuit celeberrimum Nicolaum Leonicum Thomeum. Qui autem fuerit ejus in rebus philosophicis progressus, iis verbis dicam, quibus usus Varchius in oratione, quam in Bembi funere habuit: Et in essa procedette tanto oltre, quanto, & testifica lungamente nel principio del suo dottissimo dialogo dell' immortalità dell' anima Messer Niccold Leonico, grandissimo, & pulcherrimo filosofo suo precettore, & dimostrano largamente tutte l' opere da lui composte, &c.

(b) perpaucis interiectis annis, Ferrariam Bembus pater Prodominus missus est) Anno M. CCCC. LXXXVIII. Ferrariam Bembus pater Prodominus profectus est, unaque Bembus filius, qui illinc quanplures dedit ad necessarios suos literas, plerasque jam publici juris factas. Jucundissimo spectaculo adfuit festis bacchanaliorum diebus anno M. CCCC. LXXXVIII. cum